





*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*





1778.

1. Triccius, Albertus: De indelictum solente per igno-  
rentiam juris civilis ad indelicti conditionem ad-  
mittendo.

2. Haebertus, Carolus Fredericus: Theses inaugurales  
sistentes disquisitionem questionis: An eques S. R.  
I. immediatus praedium collectabile, propterea,  
quod fuit bynestia, a collectis questibus eximere  
possit?

3. Haebertus, Carolus Fredericus: De juris circa sacra  
jurisque sacrorum fundamento et discrimine.

1779.

1. De Rosi, Adam Georgius Pustler: De donatione inter  
conjuges enumeratoria atque insinuatione valida

2. Triccius, Albertus Philippus: De exceptione litora-  
rum respirationis et vel Octobris fidesjurationibus  
profectus.

7.

1779.

3. Heuberti, Franc. Fridericus: De mandato S. C. contra  
statum imperii subditis jura pristina libertates sub  
specie regaliis retractentem a camera Imperiali  
sunt decernendo.

1780.

De Rosi, Julius Sergius Paulus: De testamento ob obere  
habitionem sine elogio factum non ipso jure nullo.

1783.

\* Eisenhartus, Franc. Fridericus: Memoriam . . . Franci  
Friderici Eisenharti . . . prorektor et senatus . . .  
virtus et posteritati commendat

2. Frickius, Albertus Philippus: De laicis jure Romano  
renovato jure Lubecensi adstantis.

1784

Oettinge, Guilielm. Eusebicus, Fac. jur. Decanus: ad audien-  
dam orationem: de divorsitate nobilitatis Romani-  
nae et Germanicae . . . iuritate praesentia

disquisitione: quatenus socii ab sociale debito  
in solidum tenentur?

1785.

1. Schmeubert, Andreas Trepus: De analogia juris publici  
imperii in fortibus juris publici S. R. I. territorio.  
tam non numeranda.

2. Soeldner, Michael Luntors ust. De hypothecis tacitis  
judicialibus seu registratis tam postponendis.

17

3.

17c

0.

17

\*  
1.8

0

2.

178

0



MEMORIAM

VIRI

ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIMI

IOANNIS FRIDERICI  
EISENHARTI

I' V' D' SERENISS' BRVNOV' AC LVNEB' DVCIS  
A CONSILII AVLAE IVRIS IN ACADEMIA IVLIA  
CAROL' PROF' PVBL' ORD' FACVLT' IVRIDICAE  
ORDINARII REGIAE DOCTRINAR' DVISVVR-  
GENSI ALIISQVE SOCIETATIBVS  
ADSCRIPTI

A' D' X OCTOBRIS MDCCLXXXIII

PLACIDE DEFVNCTI

PRORECTOR ET SENATVS  
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE  
CIVIBVS ET POSTERITATI  
C O M M E N D A N T

---

*Praemittitur brevis disputatio de cratere diuino.*

---

HELMSTADII

LITTERIS VIDVAE P' D' SCHNORRII ACAD' TYPOGR

287  
1783 11

8 /



MEMORIAL

MEMORIAL ET CONSTITUTIONES

IOANNIS FRIDERICI

EXCELSORII

IN REGNO SACCARIE

ET IN ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS


REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE

ET ALIIS PARTIBUS

REGNI SACCARIE



**E**tsi memoria Illustris, quem nuper amissimus, Vi-  
ri, Iureconsulti apud nos primarii, IOANNIS  
FRIDERICI EISENHARTI, abunde testata apud  
orbem eruditum, nec indicta aliorum litteris est;  
nos tamen, quos ei plures quondam causae ac necessitudines  
coniunxerunt, hoc debere Pius Manibus singulare officium  
uidemur, ut, quas propius cognouimus, eximias Viri  
dotes testimonio ornemus nostro, et dolorem, quem ex  
obitu eius acerbissimum cepimus, grata meritorum eius  
commemoratione leniamus. Fata quidem eius et uitae  
cursum si animo et cogitatione remetitur, eam rerum  
summam uidemur reperire, quae uitae laboriosae iuxta ac  
honoratae exemplar praebeat, uirumque ostendat, qui  
rerum secundarum aduersarumque uices praecipue exper-  
tus,

rus, corstantique uirtute per aspera eniti ad fortunam solitus, honores, quos adeptus in uita est, multis laboribus molestisque superandis quatuor, et quae sitos pari gesserit infirmitate. Haec mens EISENHARTI, haec fors fuit, a summa rerum omnium moderatrice mente attributa, quae hominibus quibusque suum ingenium assignat, sua fata dispensat, efficitque, ut diuersa omnes conditione uiuant, atque alii aliis molliores durioresue rerum suarum successus experiantur. Sunt enim, quibus, uelut ipsius Fortunae filis, omnia cunctibus plena sunt, omnia ex uoto sine labore et periculo eueniunt. Quicquid horum aliquis attigerit, aurum fiet,

--- quicquid calcauerit hic, rosa fiet;

uerum tamen apud prudentes in magna admiratione non erit, quum immeritis etiam saepe contingat magna felicitas. Sunt contra, quibus dura omnia et aspera uidentur proposita, ut, licet assidue lucentes, uix eniti in locum, in quo conuiescant, possint, perpetuis fere aerumnis damnati. Et horum, quamuis infelix, digna tamen laude industria est. Sunt denique alii, qui studio et felicitate pari uincunt aduersa, et uirtute ad honores prouecti, optato laborum suorum fructu potiuntur. Horum praecipua, ut ipsius uirtutis, qua nituntur, dignatio est, atque hac sorte, dicimus, insignem EISENHARTI nostri uitam fuisse

Vim quandam arcanam, et quasi munus singulare, summi rerum moderatoris in hominum ingenis suisque dispensandis agnouit sacra pariter ac profana antiquitas, eamque imagine plane luculenta expressitque declarat, quam operae pretium sit hoc loco accuratius considerare. Nam quae cuique homini fors obtigerit bonorum malorumue, eam dicunt a Deo, tanquam calicem a patre fami-

V

millas, domesticis suam cuique portionem distribuente, praebere. Vnde in sacris litteris *crateris* uel *calicis Domini*, aut potionis a Deo singulis hominibus, uel integris populis, ad ebibendam datae, frequentissima mentio, a) qua quoniam uel dolores et cruciatus, hominibus infligendi, designantur, uel beneficia ad recreandos et exhilarandos data, hinc Thomas Gatakerus, qui de ea re late disputauit, b) triplicem in libris diuinis calicem inueniri docuit, nempe irae diuinae, consolationis, et gratulationis. Similitudinis eius haud leuis *επιψηρα* atque uis est, siquidem bonorum malorumue diuersa ratio potionis uel dulcis, uel amarae imagine, ebibendi autem actu sensus eorum interior uehementiorque significatur. Praecipue uero hoc spectant sacri uates, ut praesentem ubique rerum hominumque rectorem Deum, bona malae sua quasi manu impertientem, demonstrant

A diuinis scriptoribus ratio haec ad poëtas et philosophos Graecorum transit. In quibus primum nomino Orpheum, c) qui Iouem τὸν οὐρανὸν κρατῆρα appellat, h. e. omnium rerum, quasi cratere adhibito, distributorum. Neque enim dubium est, nomen hoc a κρατῆρ uel κρατῆρας, miscere, temperare poculum, sicut ipsum κρατῆρα, quem toties nominant Graeci philosophi, deriuandum esse, utrumque uero αἶμα τῆ κρατῆρος descendere, quod cornua

A 3 anti-

a) Psal. XVI, 5: *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei.* Pl. LXXV, 9: *Calix in manu Domini uini meri plenus melle.* Et inclinauit ex hoc; uerum tamen furx eius non est examinata: *bibent omnes peccatores terrae.* Pl. CXVI, 13: *Poculum salutis sumam, et no-*

*men Domini celebrabo.* Matth. XX, 22: *Potestis idem bibere poculum, quod ego bibiturus sum?*

b) In *Aduers. miscell. postum. cap. 5, 6, 7.* Operum, p. 443 seqq.

c) *Hymn. X, 12, et fragm. 28, p. 391 edit. Gesa.*

antiquissimis gentibus erant pro poculis. Sed in primis Homerus summi bonorum malorumque dispensatoris munus hac imagine declaravit, *d*) duo dolia fingens in Iouis limine iacere, malis quidem alterum, alterum bonis refertum, unde Iupiter omnibus mortalibus propter. Atque alios quidem, quibus mixtum ex utroque dederit, res aduersas aequae ac secundas experiri, alios contra, qui ex solo malorum receptaculo biberint, perpetuis iniuriis et aerumnis obnoxios uiuere

Sententiam Homeri, ista fabula proditam, ueterum sapientum alii mutant fere et corrigunt. Quidam enim laeta et tristitia hominum comparantes, multitudinem tristitiam augent, et cum Homerus aequalem fere utrorumque numerum statuere uideatur, *e*) Pindarus contra pronuntiat, *f*) unum ad bonum gemina hominibus mala a Diis distribui: *Ἐν παρ' ἑσθλῶν πῆματα σύνδυο δαίονται βροτῶς Ἀθάνατοι*. Magis exaggerat Diphilus apud Stobaeum, *g*) qui Fortunam, ait, hominibus tanquam cyathos exsiccantibus, si unum bonum infundat, tria mala affundere:

Ἦσπερ

*d*) *Iliad. XXIV, 527* seqq.

*e*) Erasmus quidem Schmidius ad Pindari locum mox citandum monet, conuenire hunc cum Homeri gnome, qui duo dolia malorum et unum bonorum asserat, et *ἕτερον* ab Homero usurpatum, non distributionem inter duo indicare, sed diuersitatem tantum a dubio aliis. Scholiastes etiam Pindari ad hunc locum testatur, sententiam eius conuenientem Homero esse. Sed tamen antiquiores plerique a-

pu'd Homerum unum tantum malorum dolium, alterum bonorum agnoscunt, aliterque legunt uersum Homericum: *Κηρῶν ἑπιπλαῖαι, ἃ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ἃ δαυλῶν*, ut Plato de Re publ. lib. II, p. 430, Plutarchus de aud. poet. Tomo VI. Op. edit. Reisk. p. 85, Themistius oratione, quae inscribitur *Θεωρητικῆς*, p. 79, edit. Hard. Boetius, Conf. Phil. lib. II, prof. 2.

*f*) *Pyth. III, 145*.

*g*) *Serm. CCL*.

Ἄρατις καὶ θάλασσα ἐπιείρηστος ἢ τὴν ἡμετέραν.

Ἐν ἀγαθῶν ἐπιείρηστα, τοῖς ἐκαστῶν κακῶν.

Sed ratio haec bona malaque vitae humanae computandi, uti diuersa pro diuersis hominum sensibus esse solet, ira praecipue ex more ueterum in conuiujs modimperatorum repetenda est, quo uni cyatho uini alterum aquae, uel plures admiscebant. Vehementius ab Homero dissentiunt philosophi, ubi Deum malorum aequae ac bonorum dispensatorem facit. Plato enim *b)* stulte ab eo peccatum esse contendit, quod unum bonorum, alterum malorum dolium in Iouis limine iacere dicat. Quippe sola ab eo bona proficisci ait, malorum quamuis aliam causam esse. Themistius, *i)* idem uiruperans, causas malorum propius aperit. Nam quod dolium eorum male turbidum et confusum sit, hoc dicit a lato terraque, in qua homines uersentur, esse: homines ipsos illud implere et euacuare, atque in causa esse, quo minus puri fluere fontes coelestium bonorum possint. Scilicet hoc scitebant Platonici, animae in terram delapsae datos esse ob corporis focietatem motus sibi contrarios atque inter se maxime disidentes, e quibus omnia, quae homines affligant, mala nascantur. Fere eodem redit sententia Maximi Tyrii, *k)* qui Homerum ita intelligit, quasi alterum dolium ex malis bonisque mixtum, alterum meris malis plenum fingeret. Horum igitur fontes ait esse hominum uel ἀγέρων ψυχῶν, uel μυχθῶν. Et malorum quidem quod tanquam rapidus torrens uitam humanam inunder, hoc ab hominum improbitate esse; contra, quae a uirtutis fonte manent, bona uitae permixta malis esse propterea, quod nullum acquiri bonum, nullus eius fructus percipi, sine labore et molestia; possit

Caete.

*b)* De Republ. l. c.  
*i)* Orat. cit.

*k)* Dissert. XXXV, quae est quinta edit. Reisk. p. 69.

Caeterum e fabula Homeri haud dubie deriuandi κερταῖες sunt, quos Graecorum philosophi frequenter nominant, et summo rerum opifici tribuunt, ubi origines naturalisque rerum diuersas, a Deo quali temperatas et in mundum effusas, designare uolunt. Κερταῖες autem uoce utuntur, mixtionis notione, quod singulis rebus causarum aliquam et facultatum mixturam, et materiae cum ratione implicationem, necessariam esse ad naturam earum constituendam dicunt. Hinc Plato in Timaeo ortum et creationem partium huius uniuersi exponens, uarias essentialium permixtiones comminiscitur, et sigillatim animas nostras ex Anima mundi, quam ipse pro Deo habet, similibus facultatum concretionem profectas putans, hanc κερταῖες h. e. fontem animarum nominat, 1) quod Christianus adeo poeta usurpauit: m) *Deus, ignee fons animarum.* Hierocles animas humanas ex eodem cum Diis daemonicisque craterere haustas, i. e. eiusdem originis et naturae esse, affirmat. n) Orpheum libros reliquisse, qui κερταῖες dicerentur, nonnulli ueterum memorant. In quibus uidetur origines rerum uariasque naturas, in primisque, unde tanta uis mali in naturam nostram irruerit, exposuisse. Quoniam igitur Deum dicunt ex uariis causarum coniunctionibus, diuersaque uirium et affectionum temperatura, suam cuique rei naturam constituisse, hinc κερταῖες diuinus, hominibus attributus, nihil aliud philosophis, quam sortem, conditionem et statum, cuique homini a Deo assignatum, notat. Quo sensu Themistius, postquam ab Homero, dixit, sapientissime unum eundemque hominum diuumque parentem Deum collaudari, non aequi-

1) Vid. Chalcidius *comment. in Tim. Plat.* p. 233. Iac. Thomaeus *de Stoica mundi exult.* diff. XXI.

m) Prudentius *hymn. X.* r.

n) *Comment. in aur. carm. Py.*

*thag.* p. 133 edit. Lond. 1654:

Τὸς ἀνδραγαθὸς φυχῆς γινώσκων ἐν τῷ κόσμῳ κερταῖες τοῖς τε ἰπποκράτους θεοῖς, καὶ τοῖς δαιμόσι, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἕσται.



animalium, quae rationis expertia ne minimam quidem genitoris portionem habeant; in solos homines, ait, secundi crateris latices defluxisse, o) h. e. homines proximam a Diis sortem ac felicitatem accepisse. Contra Sibyllinam carmen apud Theophilum Antioch. p) homines Deo non obsequentes calicem plenum poenarum, ἰκνῆς μετὸν τὸ κύπελλον, haurire ait. Quae dictio licet ex Hebraica magis ratione loquendi, sacris in libris usitata, repeti possit, non minus tamen profani scriptores, forte Homeri fabula adducti, poculi uocabulum infortunii significatione adhibent, ut eodem poculo bibere prouerbio dicantur, q) qui eadem fortuna utuntur. Plauto inprimis haec ualde frequentata ratio est, cuius e pluribus formulis maxime memorabile *anancaicum*, quod dicit, *poculum* est, quo calamitatem ultimam, ipsamque mortem, designare uidetur r)

## B

o) Ἐἰς ἀδελφῶτες δὲ μὲν κούρα τῆ δευτέρῃ κρατῆρος ἀπὸ βροχῆ. Orat. cit p. 77. extr.

p) *Ad Autol. lib. II, p. 248.* edit. Wolf.

q) Vid. *Plautus Cas. V, 2, 44.*

r) *Plautus in Rud. II, 3, 33,* ubi de homine, qui naufragium fecerat: *Periit potando, opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte cum inuitauit: Credo hercle anancao datum, quod biberet.* Digna est eius dictionis ratio, quae curiosius quaeratur. Et grande quidem poculum *anancaicum* esse, ipse locus Plauti, et hic Varronis apud Nonium *cap. XV, p. 547,* *noce craterra,* docet: *Ad Sy-*

## Tam

*baritanam praedam, in qua sunt tripodes, craterae, anancae pocula nobilium Tarentinorum.* Ab ἀνάγκη necessitate appellatum, per se patet, sed quatenam ista necessitas? *Ανάγκη*, teste Hesychio, uocabatur iudicialis clesydra, uel urna grandis, modum aquae tenens, ad dimensum temporis spatium designandum, quod ubi elapsum erat, oratori necesse erat locum cedere aduersario. Quo de ritu iudiciorum uid. *Mauffacus not. ad Harpocr. u. ἀνακαταστασίμην.* Ab hac ἀνάγκη poculum capax, urnae iudicialis instar, *anancaicum* uocatum esse putat

Tam celebrata priscis scriptoribus crateris diuini appellatio; etsi a vulgari conuiuiorum ritu manasse uideatur, sapientia tamen non caret, et disciplinam aliquam continet fortis humanae recte considerandae, iustique solatii rebus in aduersis capiendi. Duo enim inde praecipua colligamus licet. Vnum hoc est: Necessariam in uita pro conditione hominum esse bonorum malorumque coniunctionem, sicut crateris, sine mixtae potionis, nomine omnem hominis sortem designauit antiquitas. Alterum hoc: Quicquid hominibus laetum aut triste euenit, id credendum est, tanquam manu Dei porrectum, ab eoque praecisum ante sapienter, et destinatum esse. Nulla bonorum sincera fors, aut secura usque possessio est; nulla intacta ab incurfu mali, quamuis diuturna, felicitas. Nemini meracum adeo contingit poculum, cui non faeces in fundo sint. Tenet aliquis omnem, quam uoto expetuerit, fortunam, opibus deliciisque omnibus circumfuit; et ecce:

- - medio de fonte liquorum

*Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.*

Sci-

tat Turnebus *Aduers.* XXI, 12. Sed propius uero uidetur, et *καὶ τὴν αἰσθητικὴν ἀπολαύσιν* tam respici, quae in conuiuio et potandi certaminibus Graecorum obtinebat, quando potatores magnis urgeri poculis et adigi ad temulentiam solebant. Nam Casaubonus *ad Athen.* lib. II, c. 3, obseruat, a poeta ueteri *ἀπολαύσιν* uocari *τὴν ὀρεξίν τὴν ἄστυν*, cum potu liberalius uino homo suae spontis non est, neque mentis sanae. *Ἀπολαύσιν* igitur ebrietas est, siquidem Iocannes

Chryf. *contra Iud.* lib. V, scribit: *ἡ δὲ τὴν ἀπολαύσιν ἰσχυρὰν, καὶ ἀναγκαζομένην, excessus e rellae rationis usu, et desipientia.* Solebant autem ita ad ebrietatem adigere, ut grande poculum praebarent, quod funditus ebibendum uni esset, nec transfret ad alios. Unde idem ananacaeum alio loco describit a Plauto puto, *Perf. fac V, 2, 42: Di faciant, ut id bibatis, quod uos nunquam transeat.*

Scilicet uita humana, ut hoc uniuersum, uicissitudine regitur, neque aut prouidentia ulla Dei intelligi, aut uirtus aliqua hominis eminere potest, nisi bonis adsint contraria, quae regantur aut superentur. Vita autem hominum cum temperata bonis malisque sit, apparet, esse aliquem supremum arbitrum, qui temperet, quoque prouidente accidat nobis, quicquid accidit. Quam in sententiam praeclare Sophocles: 1)

Εδὲ τῶ θεῶ πᾶς κτὶ γρηῖτ' ἀπόδεται,

et, qui huic succinit, Seneca: 2) *Non, ut putamus, incidunt cuncta, sed ueniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid feras. Ille uero, qui haec constituit, tanquam pater familias, genus humanum paterno amore complectitur, et fata sua hominibus distribuens dulcia commiscet amaris, quoniam his confirmari uirtutem suorum nouit, deliciis frangi. Quod sapienter idem Seneca monet: 3) *Patrium habet Deus aduersus bonos uiros animum, et illos fortiter amat: et operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitantur, ut uerum colligant robur. Neque enim in his, qui perpetua prosperitate gaudent, aliquod uirtutis experimentum cernitur. Temere omnia et gratis contingere, neque consulta et praeparata, uidentur, sed ecce fortuitoque casu,**

*quoties uoluit Fortuna iocari.*

Contra, qui aduersa multa atque aspera experitur, eaque studio et ratione uincit, altiore quodam consilio dulci regique uidetur, ut, si operibus laboribusque multis exercitus meliorem fortunam nactus sit, non eam sorte accepisse, sed meruisse uirtute censeatur

B 2

Quod

1) In *Aiace*, u. 383.  
2) De *Prouid.* cap. 5.

3) De *Prou.* c. 2.

Quod ipsum saepe cogitasse et exemplo suo compe-  
risset putamus EISENHARTVM nostrum, quum sibi haud  
exigua vitae incommoda subeunda, et meliorem fortu-  
nam multis redimendam laboribus, uideret. Nempe in  
his consilium summi rerum suarum arbitri, et quandam  
disciplinam Dei agnoscebat, quae se his quasi asperiori-  
bus rudimentis ad meliorem animi cultum, et honores ex  
merito capiendos, informaret. Hac disciplina gaudebat  
se a prima inde adolescentia, quasi a fero patre, duri-  
ter educatum profecisse ad uirtutem: hac modestiam et  
humanitatem didicerat, qua se cunctis dulcem et amabi-  
lem praerberet: hac ad honores prouectus bonum uirum  
praestitit, acri labore et religiosa industria gessit officium,  
neque molestias incidentes recusauit, hoc meliorem  
carioremque se Deo existimans, quo alacrius foriusque  
manus sibi impositum, tanquam demensum a Deo datum,  
exhauriret

Sed uideamus Virum, cuius nobis tantopere amata  
memoria est, a primis incunabulis per plana et aspera  
procedentem ad extrema uitae. Natus est Spirae Neme-  
rum die XVIII Octobris, anno huius saeculi XX, et a na-  
talibus secunda habuit auspicia famae e Iurisprudentiae  
studio adipiscendae, parentes et maiores nactus, qui ex-  
inde decus et honores ceperant. Patre enim usus est  
IOANNE BURCHARDO EISENHARTO, Rei publicae  
Spirensis a secretis et tabularii publici praefecto, matre  
MARIA IOANNA, ex ornatissima stirpe GRAFIORVM.  
Huius nempe pater GEORGIUS FRIDERICVS GRAFVS  
apud Serenissimum Nassouiae Principem Consiliarii hono-  
re floruit. Auus nostro paternus fuit IOANNES EISEN-  
HARTVS, decus quondam Academiae nostrae, qui pri-  
mum historiarum, poeseos et philosophiae morum Pro-  
fessor publicus, post Antecessor et Ordinis Iuridici Se-  
nior,

nior, amplitudine doctrinae, multisque eius monumentis editis, magnum nomen in orbe erudito adeptus est. Quam hic in matrimonio habuit, aua nostri, PHILIPPINA MARIA CHRISTINA fuit, magni Iureconfulti HVLDERICI AB EYBEN filia, qui eruditione prudentiaque summa illustribus gestis muneribus, primum in Ordine Iuridico Academiae Iuliae, mox in supremo Ceraerae Imperii iudicio, inter lumina Germaniae numeratus est. Non omittenda uidetur Proauia paterna EISENHARTI, EMERENTIA SILEMANNIA, UXOR ANDRAEAE EISENHARTI, munere concionatoris in pago Erxlebiani functi. Haec enim quia soror fuerat THOMAE SILEMANNI, olim negotia Illustrissimae domus Keuenhullerianae in aula Caesarea curantis, qui excitandis alendisque in gente sua ingeniis, ad studia feliciter tractanda aptis, stipendium annuum legauit; iure cognationis Silemanniae factum est, ut legati eius fructus iuuandis EISENHARTI nostri studiis mature impertirentur. Prima autem litterarum et religionis fundamenta in scholis urbis patriae inferioribus posuit, mox in Gymnasium Senatorium deductus in Graecae Romanaeque linguae, artium item liberalium, cognitione, per diuersos eius ordines gradum fecit, doctoribus fidelissimis usus LANGLOZIO, HAVPTIO, WUCHERERO, LITZELIO, qui Conrectoris, et FEISTKOHLIO, qui Rectoris tum munereungebatur. Inter haec studia scholastica, quatuordecim annorum puer, beneficium, quod diximus, Silemannianum nactus est, decreto Senatus Academici Helmstadiensis, qui eius administrandi potestatem habet. Eiusdem lege beneficii altiora ei studia persequenda in Academia Iulia fuerunt, quam adiit mensē Septembri, anno saeculi XXXIX, oratione prius in gymnasio ad uale dicendum recitata *de fatis urbis Spirae*. Et attulit quidem in Academiam magnum doctrinae omnis studium, sed exiguam

Spem fortunarum, quandoquidem patre circa idem tempus demortuo, matre etiam ante hunc amissa, atque inde admodum turbata re familiari, domesticum uitae in Academia degendae praesidium fere nullum habebat, et stipendium, quod annuum capiebat, aegre eum subleuare, leuiusque praestare auxilium uidebatur. Idem tamen beneficium quum alumni suis officium longius protrahendi studia Academica, in primisque humaniores litteras diligentius persequendi, imponat, et tum in EISENHARTO promptum ad acerrima studia animum, et officii sui ubique obseruantem inueniret, praecipua sine dubio causa fuit, qua effectum est, ut ad eam eruditionem atque famam, quam postea assecutus est, perueniret. Commodum accidit, ut ab ERHARDO REVSCHIO, Eloquentiae Prof. publico, eodemque stipendii Silemanniani Ephoro, tum Prorectore, in numerum ciuium Academicorum simul, et in aedes contuberniumque reciperetur, quem igitur primum studiorum suorum ducem et moderatorem habuit, doctorem etiam praecipuum habiturus, nisi eum mors paulo post infecuta eripuisset. Studia primum humanitatis ingressus, philosophiae uniuersae disciplinas a FROBESIO et KEVFFELIO, Professoribus clarissimis, et a MAESTERTONO, philosophiae Magistro, post eiusdem in Academia Aboensi Professore, accepit, Mathematicas a WEISIO, Theol. Lic. antiquitates Romanas et Germanicas, a BREITHAVPTIO. In historia tum catholica, tum Germanica Imperii KIPPINGIUM, in litteraria FABRICIUM, in sacra reipublicae Christianae MOSHEMIUM duces et doctores secutus est. Anno sequentiori his in praelectionibus audiendis consumto, scholas Iuridicas ingressus est, omnesque Iuris diuersi disciplinas clarissimis illustribusque sub Antecessoribus, quibus tum florebat Academia Julia, KRESSIO, GOEBELIO, CONRADIO, PERTSCHIO, KIPPINGIO, ad haec Medicinam

cinam forensē, CRELLIO tradente, percepit, plurimum tamen CONRADIO adhaesit, elegantia eius doctrinae delectatus. Publicis auditionibus priuata studia, eaque acerrima, coniunxit, et lectione uariorum librorum assidua scientiam eruditionemque suam, ut pauci alii solent, locupletauit, cumque ex lege beneficii, quo fruebatur, publice edenda diligentiae specimina essent, non solum anno saeculi XLI orationem habuit *de memorabilibus, quae anno saeculi huius quadragesimo acciderunt*, sed etiam sequente anno moderatore CONRADIO disputationem *de iure Quiritium a ciuitate Romana non diuerso publice defendit*, cui anno XLIV accessit alia, eodem ICRO praeside, *de statu naturali Hobbesii ex corpore Iuris civilis prostrigato, ac prostrigando*. Inter haec studia cum duram et difficultatibus plurimis obseptam agere uitam, patri monio fere nullo adiutus, necesse haberet, quadriennio in Academia exacto cogitabat in patriam, ut opera forensi agendisque causis aera mereret. Sed reuocabat eum consilium summi Viri, MOSHEMII, qui EISENHARTI uirtutem et prudentiam studiis moribusque commendati sibi nobilis iuuenis DE RHEZ moderandis aptam iudicans, huius instituendi regendique officium ut susciperet, suadebat. Hoc secutus EISENHARTVS, ut erat flexibili ingenio, et ad omnia, in quibus experiri fortunam posset, subeunda paratus, subito flexu uidebatur e pristino cursu in aliud ueluti stadium conuersus, in quo quidem maiora decora contestanda, sed et ampliora spatia et spes longinquas sibi uideret inchoandas. Nam suscepta nobilis iuuenis regendi cura quam facultatem natus esset amplificandae, quam parauerat, doctrinae, pluribusque rebus instruendae, tum fiebat, ut relicto rerum forensium studio iam Academiam, et publicum iuris docendi munus spectaret. Ab anno igitur saeculi XLIV Generosissimo RHEZIO adfuit studiorum moderator,,

MOSKEMII simul hospitio et conuictu utens, quem sibi  
 ob sermones plenos humanitatis atque doctrinae iucun-  
 dissimum saluberrimumque fuisse, saepe gratus professus  
 est. Anno sequente cum nobili alumno suo iter in Ger-  
 maniam superiorem suscepit, et Francofurti quidem ad  
 uisendum inaugurandi coronandique noui Imperatoris  
 augustum spectaculum diutius commoratus est, mox no-  
 biliore ad Rhenum urbes Germaniae circumiuit, et plu-  
 rima ubique notatu digna, quae futura usui essent, ob-  
 seruauit. Reuersus Helmstadium ad persequenda alumni  
 sui studia et sua, mox progressionem ad honores et do-  
 ctрина capiendos fecit, et auctore CONRADIO suo scripta  
 et defensa inaugurali disputatione *de modo seruando in le-  
 gatorum piorum interpretatione*, die XXX Sept. anni XLVI  
 ab Ordine Iureconsultorum Licentiam summos in Iure  
 honores consequendi impetrauit. Neque uero hoc con-  
 secutus substitit, aut modum habuit discendi, sed quum  
 RHEZIO constitutum esset adire Academiam Goettingen-  
 sem, ipse eam deduxit comes, cum eoque schoias cele-  
 berrimorum uirorum ingressus, in subsellis auditorum,  
 quamuis ipse in doctoribus numerandus, sedit, omnem-  
 que pristinorum studiorum cursum remensus, cum, quae  
 RHEZIVS secum audisset, ipse diligentius repetere et in-  
 eulcare studeret, mira sane omnis doctrinae incrementa  
 cepit. Tum GESNERO, ueteres scriptores Graecos et  
 Latinos explicanti, HOLLMANNO, philosophiam natu-  
 ralem, KOEHLERO historiam Imperii tradenti, adfuit,  
 Iuris autem uniuersi campum SCHMAVSSIO, WAHLIO,  
 BOEHMERO, CLAPROTHO ducibus, ueterani scientia,  
 tironis docilitate peragravit. Quantum repetita haec di-  
 sciplinarum lustratio ad confirmandam EISENHARTI eru-  
 ditionem profuerit, haud difficile ad intelligendum est.  
 Ut purpura bis tincta splendore, ita EISENHARTVS, A-  
 cademica disciplina iterato imbutus, doctrina enituit.

Quan



Quantum igitur distidebat ille ab aliorum more et ingenio, qui praecipitatis in Academia studiis, nec idoneo doctrinae apparatu instructi, ad honores et munera adeo docendi properant, satisque habent, si certos et more quodam constitutos annos exegisse in Academia uideantur. Noster, dum alumni sibi crediti studia ordinar, deuo iis tantundem temporis tribuit, quantum alii uix semel solent, et magnorum doctorum scholas ipse doctus frequentat, ut, si amplius discere non possit, iam docere discat. Neque uoto et spe sua plane frustratus est EISENHARTVS. Nam anno saeculi XLVIII reuocatus Helmstadium a SERENISS. BRVNOV. ET LVNEB. DVCE Adiuuctus Ordinis Iuridici appellatur, quam stationem quo melius ornet, eiusdem anni die XVIII Octobr. ipso natali suo, summos in utroque iure honores ritu publico et solenni in aede Academica a FERTSCHIO, tum Decano, recipit. Sic impetrato quidem munere publico, et aditu ad maiores honores patefacto, aderant simul, quae perpetua fors EISENHARTI fait, sollicitudines curaeque graues. Nam exiguo stipendio praeditus, et propriis facultatibus subleuatus nullis, cum et uita sustentanda esset, atque hinc fama existimatioque paranda, illinc calumniis maleuolorum, in quibus et uiri auctoritate polentes erant, resistendum, dura sane EISENHARTVS conditione uiuebat, atque illi quotidie catenati labores exantlandi erant, deuorandi dolores, peruigilandae noctes. Sensim tamen ex his difficultatibus emergebat, tanto maiore quidem cum gloria, quanto magis inde exercita iis uirtus et doctrina eius enitebat. Perspecta eius industria, editisque solidae doctrinae speciminibus, inclarescebat breui, frequentesque ad scholas eius auditores commebant: neque deerant alii prudentes, qui merita EISENHARTI omni honore digna iudicarent, et, quando eum nouo gradu extolli uiderent, id sibi optatissimum enire

nire testarentur. Fatendum quidem est, lento quasi gradu processisse fortunam eius. Triennio post, quam Adiuncti Ordinis Iuridici titulo ornatus erat, Assessor collegii, quod de iure responder, creatus est: sub initium anni LIII provinciam iuris extra ordinem docendi accepit, et demum in eunte anno LV ordinariam professionem, decessu PERTSCHII vacuefactam, adeptus multiplicium laborum metam attingisse visus est. Sed tamen et hoc fatendum est, hoc spatio uitae eius laborioso et exercito praeparatum formatumque illud ingenium esse, quod personam Iureconsulti consummati sustineret; siquidem durior, quae tum urgebat, necessitas, assiduos quasi stimulos ei admouebat, ut plurima doctrinae suae monumenta ederet, omnibusque nervis ad proferendam nominis sui famam contenderet. Satis constat, et e scriptorum eius catalogo, quem huic memoriae subiiciemus, abunde intelligitur, tot ab eo commentationes his annis proditas in publicum esse, quot neque alius facile tam breui spatio ediderit, neque ipse aliis uitae suae annis dedit. Et maiores, quibus maxime inclaruit, libri, *Historiae Iuris litterariae*, et *Iuris Germanici privati Institutiones*, horum spatio annorum elucubratum sunt. Quodsi *Minorum eius scripturarum Germanicarum* collectionem, quae sub idem tempus prodit, inspiciamus, sane intelligere et mirari licet, quam multa et varia, praeter quotidianas multiplicisque praelectiones Academicas, praeterque disputationes haud paucas publice e cathedra defensas, ille et legerit, et meditatus sit, et scripserit. Scilicet hinc tam cumularis laboribus, hac tam pertinaci industria uicit EISENHARTVS obstantes fortunae suae difficultates, effecitque, ut, cum ordinariae professionis munus cum lautiore stipendio nancisceretur, non illud indulgentis fortunae, aut eblanditi fauoris opus, sed praemium laborum, sed datus uirtuti et doctrinae honos, sed relata bene

bene meritis gratia uideretur. His addamus, licet, per idem tempus, nempe anno saeculi LIII, EISENHARTVM a Societate Ducali, quae excolendae causa linguae patriae instituta apud nos floret, Ephorum eiusdem electum esse, et anno LVIII, defuncto Ven. Abbate SEIDELIO, Praesidis in ea Societate locum cepisse. Haec enim occupationum et studiorum eius non exigua accessio erat, quod singulari linguae uernaculae elegantiorumque litterarum, quas Societas ea colit, studio ducebatur, eoque multum subsecuni temporis Germanicis litteris exercendis dabat, multa peregrino idiomate scripta in patrium sermonem transferebat, multa eo sermone eleganter scripta cum Societate, cuius collega erat, communicabat. Et talibus exercitationibus multum iam dare se, Goettingae cum esset, coeperat, ubi socius collegii, quod litteras Germanicas excolit, allectus fere continua uarii argumenti meletemata, patrio sermone scripta, in confessa eius praelegit, quae deinceps cum aliis a RVD. WEDEKINDO, eiusdem collegii socio, in unum fascem collecta et foras data sunt. Quem Goettingae et Helmstadii praefens tenuit honorem Societatis Teutonicae, eundem absens ab eiusdem instituti Societate, quae in Academia Regiomontana floret, obtinuit, sodalis eius honorarius appellatus. Neque minorem tulit honorem e decreto Societatis Regiae, Duisburgi ad augendum disciplinarum incrementum institutae, quae eum titulo Collegae sui condecorauit

Caeterum postquam amplissimo Antecessoris in Academia munere ornatus est, secundiore quidem fortuna uti coepit, auctoritate et gratia apud collegas aequae ac eius Academicos floruit, per plures gradus Ordinis sui prouectus, pluribusque ornamentis auctus, siquidem anno LIX a SERENISSIMO PRINCIPLE Consilarii aulici dignitatem, et post triennium, MENKENIO mortuo, Ordinarii

munus in collegio Iuridico accepit, magnaque auctoritate pariter ac sollertia gessit. Sed inter haec ornamenta, cum prioris vitae incommoda, totque aduersos casus, uirtute et industria superasse uideretur, conflictari cum aduersa ualitudine coepit, fato quodam EISENHARTI ita ferente, ut nulla fortunae portio ei attributa sine aliqua acerbitate et molestia esset. E continuis laboribus et uigiliis, quibus connitendum ad meliorem statum fuerat, insignem contraxerat languorem, qui animi pariter ac corporis uigore deminuto imparem fere studiis et negotiis reddebat, atque intercipere omnem, qua ante usus fuerat, alacritatem uidebatur. Quum tandem, uacatione aliqua laborum et relaxatione animi interposita, adhibitaque medica corporis cura, ad meliorem ualitudinem reuertisset: quamquam hanc non ita firmam recepit, ut nulla deinceps eius incommoda sentiret: statuit amicorum consilio leuamentum molestiarum, auxiliumque uitae, uxore ducenda, quaerere. Quod in coniugio MATRONAE inuenit, genere atque indole animi ornatissimae, SOPHIAE LUCIAE, e nobilissima KALMIORVM gente, quae Brunswigae floret, oriundae, quae patre FRIDERICO DE KALM, uillarum et clientelarum Senatus Brunswicensis Curatore, matre ILSA LUCIA, gentis FAVELIAE, nata, ante in matrimonio PHILIPPI GUILIELMI FRIDERICI SCHROEDERI, Medici in ea urbe experientissimi, uixerat. Hoc in coniugio, quod anno MDCCCLX, die XVI Aprilis, ritu auspicato contractum est, concordissime suauissimeque uixit, placidis moribus et comi humanitate, ut collegis amicisque, ita uxori in primis carus et amabilis. Tulit etiam optatum amoris sui fructum in gemina prole, quam e Coniuge dilectissima suscepit, cuius quidem altera IULIANA FRIDERICA LUCIA, die VIII Martii anni LXI nata, magno cum Parentum dolore intra annum decessit; alter ERNESTVS LUDOUICVS AVGVSTVS

GVSTVS, die XXXI Dec. anni LXII natus, in studio Iurisprudentiae felici cum successu deditus, uti patet in indolis imaginem, ita Matris desolatae spes et caritates omnes unus complectitur

E domestica felicitate, qua deinceps gaudebat EISENHARTVS, ea leuamenta et solatia capiebat, quibus ad labores officii causa quotidie subeundos ruficeretur, capiebat etiam res publica utilitatem, quae EISENHARTI bene meritis sic diutius fruebatur. Erat enim Vir ille infatigabili fere sollertia praeditus, et in officii sui muneris explendis in primis religiosus, qui nulla in parte uoluntatem et fidem suam desiderari pateretur, et, si forte inciderent negotia, quae alii fortasse reformidarent, sibi proponere illud Virgilianum soleret:

*Ipse subibo bumeris, nec me labor iste grauabit.*

Inter quotidianos docendi, legendi, respondendi de iure labores, quantum praeterea rerum scripsit et meditatus est! qua ille cura et assiduitate negotia Academicum continua, ut Senator, tum magistratus Academici, cuius honorem quater gessit, tractauit et peregit! Neque eum quisquam in tam cumulatis occupationibus, quamuis affecta ualitudine subinde aggrauante, molestius haec ferentem aut stomachantem uidit. Ingenium, quod in eo erat, non rapax illud et feruidum, sed sedatum et tractabile, efficiebat, ut in rebus gerendis moderatus et circumspectus, aliis commodus et liberalis, sibi temperans et seuerus esset, procul inuidia et offensione aliorum rerum suarum satageret, nec cum aliis facile, nisi officiis et beneuolentia, certaret. Memoria ualebat tenacissima, quae coniuncta cum discendi legendique fere inexpleta cupiditate, tanta rerum copia et uarietate instruxerat, ut et in docendo magna orationis ubertate uteretur, et familia-

miliari in sermone multa iucunde utiliterque narrare so-  
 leret. Iudicandi facultatem, satis acrem a natura, phi-  
 losophiae disciplina acuerat iuuenis, et deinceps multo  
 rerum usu et assidua studiorum exercitatione ita firmauerat,  
 ut, qua Iureconsultus praecipue censebatur, recta le-  
 ges interpretandi ratione, et prompta de iure responden-  
 di facultate in primis excelleret. Hac indole atque his  
 dotibus praeditus talem se doctorem Academicum prae-  
 buit, quo iuuenes litterati non alium doctiorem, colle-  
 gae non coniunctiorem optarent, quique publicis priua-  
 tisque in rebus pari existimatione atque gratia esset. Mul-  
 tum eius studiis et meritis debet olimque debebit Aca-  
 demia nostra, multum res litteraria, praesertim Iurispru-  
 dentia, debebit. Ut scholis suis, magna semper audien-  
 tium frequentia celebratis, permultos Iuris peritos feli-  
 cesque causarum patronos instituit, eoque famam sustu-  
 lit Academiae nostrae, ita libris in publicum emissis,  
 quibus praecipuas legitimae scientiae partes explicauit,  
 doctrinam suam extra Academiae pomoeria protulit, et  
 cum orbe erudito communicauit, tanta quidem cum ex-  
 terorum approbatione, ut, libris eius ad docendum ad-  
 hibitis, multis in Academiis doctor iurium audiretur **EA-  
 SENHARTVS**. Et nulla sane pars uniuersae Iuris pru-  
 dentiae est, quam ille non uel docendo tradiderit, uel  
 singularibus scriptis illustrarit, siquidem et integras di-  
 sciplinas eius libris complexus est, et singulares quaestio-  
 nes iuris, quas uel priuata meditatione excussisset, uel re-  
 spondendo in collegio iuris dicundi decidisset, pluribus  
 uoluminibus collectas edidit. Romani quidem iuris ca-  
 pita hoc feliciter exponebat, quo maiorem antiquitatis et  
 historiae Romanae scientiam solebat adiungere, cuius et-  
 iam non nullis in libellis paeclara documenta dedit. Sed  
 Germanici tamen Iuris studium amauit praecipue, ma-  
 gisque uulgare annisus est, quod cum scriptis *Iuris Ger-  
 mani-*

manici Institutionibus perfecit, tum alio opere de praeceptis Iuris Germanici, per uernaculi sermonis prouerbia illustratis. Quibus libris cum multam apud Iuris peritos gratiam inuit, tum ipse quodammodo iis, quasi praestantioribus, delectari uisus est, quamquam alias minime Sufsenus sibi, nec cum arrogancia de scriptis factisque suis iudicare solitus. Inuit et ornauit hanc scientiam praeclearum ritus et sermonis patrii studium, quod et Iuri Germanico illustrando in primis accommodatum intelligebat. Et nos quidem inter ornamenta EISENHARTI non extrema numeramus, quod summopere ad nitorem et elegantiam uernaculi sermonis comparandam adspirauit. Quam ubi uariis exercitationibus multoque usu consecutus est, ut nonnulla ingenii monumenta, quae florente aetate edidit, ostendant, transfudit ad seueriora Iuris praecepta exponenda, primusque inter Germanos fuisse uidetur, qui abiecta sribligine dicendi, qua prius uiri Iureconsulti consueuerant, periculum faceret patrio sermone pure, et eleganter et populariter de rebus Iuridicis scribendi. Experimenta eius rei sane prospera cum in *Opusculis Germanicis*, quae duobus tomis prodierunt, dedit, tum maxime decem uoluminibus *Narrationum de singularibus causis forensibus*, quae magno euidentium fauore exceptae iam typis iterato excubri meruerunt, omninoque famam auctoris atque Ordinis Iuridici, in quo de causis istis iudicatum est, non mediocriter dilatarunt. Et haec quidem dotes ingenii eius et potiora monumenta enarrauimus, quae publice gratum et elarum apud externos fecerunt; interiora autem animi et quasi domestica decora, uirtutesque priuatim exercitae, quae uenerandum suis, honoratum collegis, amabilem cunctis praestiterunt, non minora istis, neque minus illustria uideri possent, si quidem ita pingere et nota facere exteris liceret, ut fuerunt nobis, qui sanctitatem animi eius et religionem in Deum,

qui

qui modestiam singularem, qui expositam ad officia omnia humanitatem, multis spectatam documentis, quotidie uidimus, ut Helmstadii nemo facile inueniatur, qui uiuum non amauerit et honorarit, ereprum non lugeat et desideret.

Et talem tamque praeclarum Iureconsultum eadem studiorum laborumque contentio, quae dederat, abstulit. Quam enim olim nimia laboris assiduitas et pertinacia adduxerat infirmitatem, eadem post inducias nonnullas, et mitiora interualla, paucis abhinc annis reuertens grauius afflixit, ut magis iam imminui uitalis uigor, et festinatae senectutis incommoda ingrauescere uiderentur. Quibus cum ambulatione et uestatione crebra diu oblectatus esset, tandem ex itinere, quod sui recreandi causa susceperat, redux factus, subito animi deliquio abiectus est, et uehemente sanguinis congesti uomitu exhaustus plane defecit, placide tamen, uti uixerat, et uix sentiens mortis horrores, exspirauit die X Octobris hora VIII matutina. Funus eius die XIV eiusdem mensis ante lucem in coemeterium ad aedem Diui Stephani elatum est, sed etiamnum prosequitur et lugeat Academia, quae carissimi sibi Viri, multorumque eius meritorum, memoriam nunquam deponet. Et iusta quidem Pii Manibus Mariti, Parentis sui, optime de se meriti, perfoluit familia superstes clarissima: perfoluit etiam nuper, quantum potuit, quae eum Praesidem quondam suum grauissimum coluerat, Societas Teutonica, et per eruditum iuuenem CHRISTIANVM DANIELEM VOSSIVM merita EISENHARTI de lingua et litteratura Germanica iusta oratione praedicauit; Academia uero nostra, quae pro temporis ratione nihil aliud, quam breuem de uita eius narrationem, tanquam curtata in tabula propositam, exhibere potuit, multo longius se debere memoriae eius offi-



officium fateretur, et quae iusta meritis eius in collegium suum, in Jurisprudentiam et rem litterariam uniuersam persoluenda sunt, nunquam a se putabit persoluta, quin omni tempore sibi de EISENHARTO, quondam suo, gratuletur, nomen eius atque facta grata mente recolat, monumenta doctrinae, exemplaue studiorum atque uirtutum eius ciuibus suis commendet, tradat posteritati.

P. P. Helmstadii in Academia Iulia Carolina  
a. d. XXX Dec. MDCCLXXXIII.

---

S C R I P T O R V M  
IO. FRIDERICI EISENHARTI  
S E R I E S.

- I. *Oratio*, de memorabilibus, quae anno saeculi huius quadragesimo euenerunt. *Helmst.* 1742
- II. *Diff. Inaug.* de modo seruando in legatorum piorum interpretatione. Ad L. 38. §. 2. D. de aur. arg. leg. *ibid.* 1746. *Praefide* Franc. Car. Conradi
- III. *Diff. epistolica* ad L. 3 C. de Profess. et Medic. *Göttingae* 1747. *recus* in Opusculis Iuridicis uarii argum. No. 13. Explicantur rationes, cur Poëtis nulla immunitatis praerogatiua ab Imperat. Rom. concessa sit
- IV. *Progr. aditiale* de lectione Corporis Iuris Ciuilis in studio Iuris non negligenda. *Helmstadii*, 1748. Exat etiam in Opusculis Iuridicis. No. 16

D

v. *Diff.*

## XXVI

- v. *Diss. de dotalitio viduarum summorum in Germania Praesulum Protestantium. Helmst. 1748. Resp. Georg. Frid. Friesell. Recus. in Opusculis Iurid. N. 1*
- vi. *Diss. de fideiusoribus dotis. Resp. Christian. Jacob. Eifenhart. ibid. 1749. et in Opusc. Iurid. N. 2*
- vii. *Progr. de eo, qui triflia nuntiauit, quominus quis iudicio se stiterit. ibid. 1749. et in Opusc. Iurid. N. 17*
- viii. *Diss. de iure testandi prodigo non competente. Resp. August. Wilhelm. Hassel. ibid. 1749. Pluribus hoc argumentum persequitur D. Lud. Godofr. Madihn in Commentatione de iure testandi prodigo frustra iudicato. Halae 1771*
- ix. *Kurze Abhandlung von dem Beweise durch Sprichwörter. Erfurt, 1750. 4. recus. in den kleinen Teutschen Schriften, N. 2*
- x. *Progr. de praecipuis quibusdam Iuribus ac obligationibus agnatorum secundum Ius Germanicum. Helmst. 1750*
- xi. *Diss. de uera criminis focii notione. Resp. Christ. Iac. Eifenhart. ibid. 1750. 4. et in Opusculis Iurid. N. 4*
- xii. *Diss. de nato ex sponsa. Resp. Io. Frid. Neumann. Helmst. 1750. 4. et in Opusc. Iurid. N. 3*
- xiii. *Commentatio de auctoritate et usu Inscriptionum in Iure. ibid. 1750. 4. Vid. Goettingische gel. Zeitungen, 1750, St. 92. Unpartbeyische Kritik über Juristische Schriften, zweyter Band. S. 225 - 232*
- xiv. *Diss. de iureiurando in litem affectionis, in emtione uenditione cessante. Resp. Arnold. Iust. Voigt. ibid. 1750. 4. Extat in Opuscul. Iurid. N. 5*

xv. *Progr.*

- xv. *Progr. Vorerinnerungen an seine Zuhörer bey dem Anfange seiner öffentlichen Vorlesungen über das Teutsche Recht. ibid. 1750*
- xvi. *Kleine Teutsche Schriften. Mit einer Vorrede von dem Gebrauche der Mathematischen Lehrart in der Rechtsgelehrsamkeit, herausgegeben von Rudolph Wedckind. Erster Theil. Erfurt 1751. 8. Zweyt. Theil. ibid. 1753. 8. Vid. Leipziger Gel. Zeitung. vom Jahr 1751. N. 43. u. Goettingische Anzeigen von gel. Sachen, 1753, St. 52*
- xvii. *Diff. de iure domini directi circa dotem Ecclesiae in feudum datae, feudo aperto. Resp. Anton. Gottlieb Rham. Helmst. 1751. et in Opuscul. Iurid. N. 6. Vid. Unpartbeyische Kritik über Juristische Schriften, IV Band. S. 83. seq. item Allerneueste Nachrichten von Juristischen Büchern. S. 470. u. f*
- xviii. *Diff. de Vestalibus et iure Vestali populi Romani. Resp. Io. Frid. Ernest. Schlichting. Helmst. 1752. 4. recus. ibid. 1754, et in Opusculis Iurid. N. 7. Vid. Unpartbeyische Kritik über Juristische Schriften, dritt. B. S. 535 u. f*
- xix. *Institutiones Historiae Iuris litterariae. Accessit B. Francisci Car. Conradi, I Cui et Antecessoris primarii Helmstadiensis, de factis scholae Iuris Ciuilibus Romanae, Oratio. Helmst. 1752. Ex editione altera auctae et emendatae. ibid. 1763. 8. Vid. Unpartbeyische Kritik über Juristische Schriften, IV Band. S. 250-261. Allerneueste Nachrichten von Juristischen Büchern, IX B. S. 641-644*
- xx. *Institutiones Iuris Germanici priuati, in usum auditorii adornatae. Halae 1753. Editio noua auctior et emendatior. ibid. 1761. Editio tertia. ibid. 1775. 8.*  
 D 2 Vid.

- Vid. *Goettingische Anzeigen von gel. Sach.* 1753. St. 133. *Allerneuſte Nachrichten von Jurist. Bueb. 2. Band.* S. 315 u. f.
- XXI. *Diff. de reſtorſione Iuris Albinagii in ſucceſſione mariti ceſſante. Reſp. Joſeph Laurbert. Bryas. Helmſt.* 1755. 4. rec. in *Opuſc. Iuridicis* N. 8
- XXII. *Diff. Contractum locationis conductionis inter patronum Eccleſiae et Candidatum praesentandum, intuitu agrorum parochialium initum, nullum eſſe. Reſp. Georg. Chriſtian Wagner. Helmſt.* 1755. 4. et in *Opuſcul. Iurid.* N. 9
- XXIII. *Specimen Bibliothecae Iuris Cambialis. Praemiſſum Io. Gottlieb Heineccii Elementis Iuris Cambialis. Francof. et Lipſiae* 1756. 8. Editio altera priori auctior et emendatior huius Speciminis acceſſit Editioni ſeptimae Elementorum Iuris Cambialis. Norimbergae 1764. 8. mai. Idem in Belgicum ſermonem tranſlatum et libro Heinecciano Belgice converſo additum prodiit Middelburgi 1766. Vid. *Goetting. Anz. von gel. Sachen* 1756. St. 59. *Hamburgiſche freye Urtheile*, vom Jahr 1756. St. 61
- XXIV. *Gedanken, von der Ehe zwifchen einer jungen Mannsperſon, und einer alten Frau.* Aus dem zweyten Theile ſeiner kleinem Schriften gezogen. *Coppenhagen u. Leipzig* 1751. 8
- XXV. *Progr. de renunciatione Nobilitatis. Adiuncta eſt Oratio de meritis Nobilitatis Teutonicae in Iuris patrii conſervationem. Helmſt.* 1757. 4. et in *Opuſculis Iurid.* N. 18 et 19
- XXVI. *Diff. de iure eius, qui ad militiam emendam credit, in concurſu creditorum. Reſp. pro gradu Doctoris,*

- ris, Albert. Ludon. Hailbronner. *Helmst.* 1757. 4. et in *Opusc. Iurid.* N. 10
- XXVII. *Progr. de usu hodierno L. 41. §. 1. D. de testament. milit. ibid.* 1757 4. et in *Opusc. Iurid.* N. 10
- XXVIII. Grundsätze der Teutschen Rechte in Sprichwörtern, mit Anmerkungen erläuterr. *Helmst.* 1759. 8. mai. Ipsa praecepta et proueria pridem edita a Conrado fuerant, 1745; Commentarium adiecit Eisenharrus. Vid. *Goetting. Anz. von gel. Sach.* auf das Jahr 1759. St. 22. *Leipziger gel. Zeitung.* vom Jahr 1758. N. 88
- XXIX. *Abhandlung*, von dem Rechte der Staende des heil-Römischen Reichs, auswärtigen Mächten Kriegsvölker zu überlassen, wie auch von der Ausübung dieses Rechts nach den Reichsgesetzen, und demjenigen, was solchen überlassenen Kriegsvölkern gebühret. *Frankfurt u. Leipzig.* 1760. 4. Prius edita haec diss. fuerat in *den kleinen Teutschen Schrifften*, 2. B. N. 1. Recusa etiam est in der Teutschen Kriegskanzley. Vol. XI, pag. 645
- XXX. *Diss. de Iuribus singularibus Viduarum. Auct. et Resp.* Io. Henr. Kratzenstein. *Helmst.* 1760. 4. et in *Opusculis Iurid.* N. 14
- XXXI. *Diss. ad L. XIII. D. Finium regundorum. Resp.* Henr. von Aschen. *Helmst.* 1761. et in *Opusc. Iuridicis* N. 11
- XXXII. *Progr. de Successione ex moribus. ibid.* 1764
- XXXIII. *Oratio*, de Friderico III. Imp. ab odio in ICros iudicato. *ibid.* 1764. et in *Opusculis Iurid.* N. 20
- XXXIV. *Diss. de pactis dotalibus ob superuenientiam liberorum haud tollendis. Auct. et Resp.* Io. Christ. Reinhard. *Helmst.* 1764. et in *Opusc. Iurid.* N. 14

- XXXV. *Progr. de Natura et indole communionis bonorum inter coniuges tacite inirae. ibid. 1764. et in Opusc. Iurid. N. 14*
- XXXVI. Erzählungen von besondern Rechtshändeln. *Erster Theil. Halles. Helmstädt. 1767. zweyter Theil. 1768. dritter Tb. 1769. viert. Tb. 1770. fünft. Tb. 1771. sechst. Tb. 1772. siebent. Tb. 1773. acht. Tb. 1774. neunt. Tb. 1776. zehnt. Tb. 1777. 3. Totius operis denuo edendi primus Tomus recusis prodit Halae et Helmstädtii 1783. 8*
- XXXVII. *Wilhelmi Gessii Vindiciae pro recepta de mutui alienatione sententia. Accedit Specimen eiusdem controuersiae. Editio noua, accurate Io. Frid. Eisenbart, 1Cto. Hal. et Helmst. 1768 8*
- XXXVIII. *Wilh. Gessii Animaduersiones in quaedam Capitulis I et II. Speciminis Salmassiani, quibus uarii uiri docti ab eius scalmuniis uindicantur. Edit. noua. Accurante Io. Frid. Eisenbart, 1Cto. ibid. 1769. 8*
- XXXIX. *Anton. Dadini Alteserrae, Antecessoris olim Tolosani, de fictionibus Iuris Tractatus septem. Accessit eiusdem solemnem praelectio ad L. Cum societas D. pro Socio. Editio noua. Accurante Io. Frid. Eisenbart, 1Cto. Hal. et Helmst. 1769. 8*
- XI. *Diff. Sistens rationem computationis fructuum, ex pacto antichretico perceptorum, in foro receptam nec iuri, nec aequitati conuenire. Resp. auct. Aug. Guil. Moser. Helmstädtii 1769. 4. et in Opusculis Iurid. N. 15*
- XLI. *Opuscula Iuridica uarii argumenti. Halae 1771. 4. Est collectio plerarumque dissertationum et programmatum, quae praecesserunt, sciente et permitte auctore, ab alio adornata*

- XLII. *Praefatio* ad I. F. A. Lodtmanni *Tractatum* de Iure Holzgrauiali, praefertim in Episcopatu Osnabrugensi. *Lemgoviae* 1770. 8
- XLIII. *Diss.* de Regula Iuris, quod in casu dubio omnia bona mariti esse praesumenda sunt, caute adhibenda. *Resp.* Christoph. Schaper. *Helmstadii* 1771. 4
- XLIV. *Praefatio* ad E. P. Mahneri *Commentat.* de Marci Aurelii Antonini constitutione, de civitate uniuerso orbi Romano data. *Halae et Helmst.* 1771. 8
- XLV. Heinr. Christian Freyherrns von *Senkenberg* *Corpus* Iuris Feudalis, oder, vollständige Sammlung der Teutschen gemeinen Lehngesetze, welche aus allen Teutschen und Longobardischen Lehnrechten, sammt vielen Reichsurkunden besteht: von neuen, mit einigen Zufätzen vermehrt, herausgegeben von D. Johann Friedrich *Eisenbart*. *Halle* 1772. gr. 8
- XLVI. *Diss. inaugur.* de territorio Norico, deque Iure cognoscendi in subditos intra et extra illud sitos Magistratui Norimbergensi competente. *Auctor et Resp.* Paul. Jac. Feuerlein. *Helmst.* 1773. 4
- XLVII. Io. *Eisenbarti* Processum Instantiae restitutionis in integrum recensuit, ac notas adiecit Io. Frid. *Eisenbartus*. *Halae et Helmst.* 1780. 8. Haec fuit disputatio Aui eius, *Helmstadii* an. 1674. pro gradu Doctoriae obtinendo habita.
- XLVIII. C. W. F. *Zinkens* kurze Anleitung zur Kriegsrechtsgelahrtheit, zum Gebrauch der Herrn Officiers- und Auditeurs, zwey Theile, mit Anmerkungen herausgegeben von I. F. *Eisenbart*. *Helmst.* 1782. 8

Extas:

Extant praeterea orationes nonnullae, program-  
mata, poëmata, uernaculo sermone Societatis Teutoni-  
cae, cui EISENHARTVS praeerat, nomine scripta, tum  
meletemata alia, tenuioris argumenti, diariis quibus-  
dam eruditorum, et minorum scripturum collectio-  
nibus inserta, quae hic singula recensere longum pu-  
tauimus. Atque in relationibus de libris nouis, quae  
Latino sermone scriptae, titulo Ephemeridum, Com-  
mentariorum, Annalium litterariorum, Helmstadii ab  
anno inde MDCCLXX prodierunt, pleraeque recen-  
siones librorum Iuridicorum EISENHARTVM  
habuerunt auctorem.

---








Helmskdt, Diss., 1778-85

X 229 87 86





B.I.G.

Farbkarte #13

24  
1783 1  
8

MEMORIAM  
VIRI  
ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIMI  
IOANNIS FRIDERICI  
EISENHARTI

I' V' D' SERENISS' BRVNOV' AC LVNEB' DVCIS  
A CONSILIIIS AVLAE IVRIS IN ACADEMIA IVLIA  
CAROL' PROF' PVBL' ORD' FACVLT' IVRIDICAE  
ORDINARII REGIAE DOCTRINAR' DVISVVR-  
GENSI ALIIISQVE SOCIETATIBVS  
ADSCRIPTI

A' D' X OCTOBRIS MDCCLXXXIII

PLACIDE DEFVNCTI

PRORECTOR ET SENATVS  
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE  
CIVIBVS ET POSTERITATI  
COMMENDANT

*Praemittitur brevis disputatio de cratere diuino.*

HELMSTADII  
LITTERIS VIDVAE P' D' SCHNORRII ACAD' TYPOGR